Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25873
Copyright: Admont, Benediktinerstift

da pluuia uerbi dei irrigare non desistant.
numquid potuit esse quod loqueris. hoc est ut noua
doctrina oriatur. et carnalis ueteris littera legis des-
truatur. et spiritaliter intelligatur? Contra hec con-
tradictionis et incredulitatis uerba. opposita
esse uidentur hec prophetia. Videbis oculis tuis.
et inde non comedes. Quod est aperte dicere.
Videbis oculis tuis carnalibus. quamuis iudaice
lippitudine tabescentibus. panem uerbi dei. et
gratiam eterne uite. quam per predicatores suos. qui
in totam mundi latitudinem sunt mittendi cor-
dibus fidelium suorum dignabitur impertiri. et ipsa
gratia tu priuabis. merito tue infidelitatis. De
scripta excecatione et repulsione iudeorum. in-
greditur modo commendare uocationem et suscep-
tionem eorum. Quatuor ergo uiri leprosi erant iuxta
introitum porte. Quos namque per hos .IIII. leprosos ui-
ros. nisi quatuor regentium ordines. quos in sy-
nagoga esse cognouimus. sacerdotum uidelicet
scribarum et phariseorum et seniorum populi intellige-
possimus? Hii namque licet per acceptę legis
custodiam. mundos se putent. lepra tamen er-
roris sunt inuoluti. quia euangelicam doctrinam
spernunt. et incrucifixum dei filium credere no-
lunt. Ipsi quoque sunt iuxta introitum porte. te-
nendo legem et prophetas. per quos populo gentili
datus est introitus in sanctam ecclesiam. sed intra
menia porte huius non consistunt. quia spiritalem
legis et prophetarum sensum minime capiunt.
Qui uidelicet quatuor ordines licet modo sint leprosi.
in nouissimo tamen tempore. cum plenitudo
gentium intierit. se ipsos ad fidem cohortari
incipient. quemadmodum hec littera continet.
Dixerunt ergo ad inuicem. Quid hic esse uolumus.
donec moriamur? O quam ampla plenum gratia
erunt. quando illuminatos cordis oculos pro ti-
more dei habebunt. dum mutue huius ex-
hortationis uerba ad inuicem conferent. et
salubri dolore cordis tacti intrinsecus dicent.
Quid hic esse uolumus donec moriamur. Quod est

quasi dicant. Cur qui eramus olim filii dei elec-
ti. nosmetipsos filios ire. et seruos peccati tamdiu
facimus. per exteriorum legalium cerimoniarum ritum. quem
tam pertinaciter obseruare studemus? Cur iniuda-
ismo et inutilium occupatione sacrificiorum immo-
ramur. donec perpetue morti anime. quam euadere
impossibile erit tradamur. Ecce christus per quem nos huc
usque obscuratos cordis oculos habentes. uentu-
rum adhuc expectabamus. olim in consummatio-
ne seculorum pro nobis pontifex factus. semel introiuit
in sancta. eterna redemptione inuenta. et amplius per
hostiam suam non apparebit. quemadmodum nobis uana
spes nostra. ac deceptionis errore plena promisit.
Si ergo diutius in carnali custodia legis perstiterimus. mor-
te moriemur. salutem anime imperpetuum non consequemur.
Siue ingredi uoluerimus ciuitatem. fame mo-
riemur. id est si spiritalem intelligentiam que est in munitione
ueteris testamenti. scilicet legis et prophetarum intrare
et perscrutari studemus. beatam esuriem illam et sitim
iustitie experiri incipiemus. de qua noue legis
lator christus per se ait. Beati qui esuriunt et sitiunt
iustitiam. quoniam ipsi saturabuntur. Siue manseri-
mus hic. moriendum nobis est. id est si legem adhuc
carnaliter tenere et obseruare uoluerimus. eterne
mortis periculum irreparabiliter incidemus. Ec-
ce hec est eorum cohortatio mutua. que fidelibus
cunctis in ecclesia constitutis quia eosdem de quibus christus
secundum carnem natus est. socios ad coronam habere
desiderant. ad audiendum ualde est iocunda.
Venite inquiunt. et transfugiamus ad castra syrie.
Venite per penitentiam et conuersionem. transfugiamus
per fidem spem et caritatem. ad castra syrie. ad socie-
tatem uidelicet et unitatem sancte ecclesie. Et non incongrue
nomine syrie. que sublimis dicitur. ecclesia figuraliter
exprimitur. que ueram appetit sublimitatem. ea que super-
terram sunt despiciendo. et que sursum sunt suauiter sa-
piendo. Si pepercerint nobis uiuemus. si autem occi-
dere uoluerint nichilominus moriemur.
Quasi dicant. Si christiani de gentilitate conuersi.
qui cum serui nostri esse deberent. nunc facti sunt domini.